

1453 *fervitatem abducti. Multi Veneti nominis eo die aut cæsi aut capti sunt, in quibus septem ac quadraginta patri-
cii sanguinis fuisse dicuntur. In hunc modum Constanti-
nopolim, nobilissimam Græciæ urbem, a Maometho Tur-
corum Rege captam accepimus. Ita vetustissimum impe-
rium eversum anno suæ conditionis supra millesimum ac
centesimum primo & vicesimo.*

*Christiano
nomini ter-
ror incurri-
tur.*

Capti Byzantii fama ingentem Christiano nomini terro-
rem injecit. Continuo itaque Nicolaus Pontifex Venetias
misit, qui ibi suis sumptibus quinque in Turcos triremes
instruerent, proposito edicto, ut quicumque Romanæ Ec-
clesiæ in eos stipendium faceret, fumeretque adversus com-
munem Fidei hostem arma, plenam eorum quæ ad eam
diem deliquisset, consequeretur veniam: si quis vero exau-
ctoratus militiam detrectasset, anathematis spiculum in-
curreret. Veneti Bartholomæum Marcellum ad Othoma-
num mittunt, qui a barbaro suos cives eorumque res re-
peteret: præmissus ante Marcellum terrestri itinere, qui
quinque & triginta dierum spatio se ex Byzantio reditu-
rum est professus. Cupiebant Patres prius explorari, quæ
esset illorum, qui cum ipsa urbe oppressi fuerant condi-
tio: viverent ne, an ad unum cæsi essent; & si viverent,
liberi, an in vincula & fervitatem adducti. Triremes jam
antea & onerariæ quædam in altum, Jacobo Lauretano
præfecto, fuerant eductæ, quæ, audita Byzantii expugna-
tione, in Eubœa subsederant. Incesserat hæc nova immi-
nentis belli cura: quum in Gallia interim omnia bello
arderent. Siquidem Sforcia, receptis quæ in planitie erant,
Rhoadum quoque, velut & montium incolas, armis sub-
acturus, copias admovit; hic illi castra habenti, Roma-
num, Martinengium, Camonicæ Vallis, & Brigantinatum
oppida voluntaria deditioe cessere. Eam defectionem se-
cuti sunt quicumque Abduanam terram incolunt. Mox
Rhoado recepto, Urceos hostis attentissima oppugnatione
adoritur. Sed dum Urcei oppugnantur, Soncineses ad
hostes defecere. Novissime & Urceis receptis (quæ oppu-
gnatio in aliquot dies distracta est) Romanengium, quod
unum